

commestione, & coitu. Et si Venus habuerit testimonium in anno, infirmitates eius erunt ex medicinis, & ex motu sanguinis, aut forte accident ei dolores in gula. Et si Venus cum hoc fuerit in signo Virginis infortunata, erit in mortis periculi eo anno. Et si fuerit cum hoc prædicto statu applicante Marte in reuolutione ad locum Venneris, & Mars infortunauerit eam, in radice uel reuolutione, per coniunctionem, uel aspectum, significat magnum malum in appetitu mulierum, & fornicationis cum dedecore.

Si transferit Mars in reuolutione ad locum mercurij radice, dicet natus falsitates, & mendacia, erit in periculo perdendi se, & aliquem ex fratribus suis minoribus, uel quem tenet loco fratris minoris. Et si Mercurius cum hoc testimonium habuerit in anno, & fuerit infortunatus à Marte, erit similiter in metu perdendi se. Et si Mars uice Mercurij habuerit testimonium in anno, hæc significationes minores, & leuiiores erunt, excepto quòd natus exponet se periculis illo anno.

Si peruenerit Mars in reuolutione ad locum Lunæ radice, & ipsa in bono loco habuerit testimonium in anno, significat quòd natus habebit dominium, & filium. Et si Mars habuerit testimonium, eius uice faciet itinera parua, ratione societatis suæ, uel mulierum, & si habuerit aliquod dominium dominabitur.

De Solis reditu in locum suum.



VANDO Sol in reuolutione anni fuerit in Leone in aliquo angulorum, in bono statu, ab infortunis liber, & habuerit testimonium in anno, & radice, significat corporis sanitatem, utilitatem, & lucrū. Et si infortunatus fuerit in domo sua, accident ei dolores. Et si fuerit in hoc statu remotus ab angulis, & infortunatus super terram, hæc infirmitates minores, & leuiiores erunt.

Sol in Virgine super terram, si aspexerit ascendens, habens aliquod testimonium in reuolutione nati, significat sanitatem, & quod procurabit, & petet substantiam, & doctrinam, & si cum hoc auxilium habuerit à fortunis, in uoluntate, & petitione suam perficiet uoluntatem. Et si habuerit ibi testimonium ab infortunis, significat infortunium, & quòd non complebit quòd uoluerit, maxime si infortunæ testimonium habuerint in reuolutione.

Sol in reuolutione in Libra supra terram, habens aliquod testimonium in anno, natus faciet iter. Bonum uerò in eo euenturum scies à statu Solis, & planetarum, qui commixtionem habuerint cum eo.

Sol in reuolutione in Scorpione in aliquo angulorum, in bono statu, maxime in Medio cœli, si habuerit aliquod testimonium in reuolutione, habebit natus ualorem, & dominium regis, bonum, & lucrum, & in hæreditatibus incrementum. Et si remotus ab angulis fuerit, & saluus ab infortunis, & damnis, & aspexerit ascendens, uersabitur in laboribus, & agricultura, & socij, & consanguinei eius lætitiā & bonum habebunt.

Sol in Sagittario, habens testimonium in reuolutione, si fuerit in aliquo angulorum, ac in bono statu, natus habebit bonum, lætitiā, & prolem, illo anno. Et si fuerit infortunatus, accident ei tristitiæ multæ, & morientur aliqui ex filijs, si quos habuerit.

Sol in reuolutione in Capricorno habens potestatem, ac testimonium in anno, significat infirmitates, & dolores, tristitiās multas, uilitatem, obscurum nomen, asserciabitur illo anno natus hominibus inferioris conditionis quàm ipse est.

Sol in reuolutione in Aquario habens potestatem, ac dominium in anno, si fuerit saluus ab infortunis, significat nato coniungium illo anno, augmentum in societate,